Noverint universi quod cum contencio esset inter concilium Ontinnen(sem) agens seu deffendens ex una parte et dompnam Sibiliam de Ontynnena vicinam dicti loci ex altera super quodam statuto facto per dictum concilium quod nullus vicinus dicti loci reciperet seu teneret exarigam
seu comandam de ganato usque ad certum tempus in termino de Ontynnena, quod statutum dicta Sibilia dicebat se non teneri observare cum ipsam non artaret ut asserebat secundum forum et racionem. Tandem ad vitandum expensas et vexacionem parcium dompnus frater Benardus de
Guaronna comendator monasterii Sixene assignavit dictis partibus quod comparerent coram venerabili dompno Eximino Petri de Salanova iusticia Aragonum et super dicta contencione seu controversia starent iudicio seu dicto ipsius. Cui assignacioni dicte partes consenserunt et obliga-
runt se stare super predicta controversia dicto seu sentencie dicti iusticie Aragonum sub pena trescentorum morabetinorum auri, ut hec in quodam instrumento publico inde confecto per Petrum Certsuela notarium publicum de Ontynyen latius continentur. Coram quo iusticia Aragonum die assigna-
to comparuerunt Petrus Pennalba procurator concilii dicti loci de Ontynnena ex una parte et Petrus de Cosculluela procurator dicte dompne Sibilie ex altera, et facta fide suarum procuracionum cum instrumentis publicis, dictus Petrus Pennalba procurator nomine dicti concilii de
Ontynnena proposuit quod cum dictum concilium fecerit statutum quod aliquis vicinus dicti loci non teneat a tempore statuti usque ad V annos continue completos exarigam ganati alicuius hominis extranei nec comanda in terminis de Ontynnena, et ipsa dompna Sibilia teneat ibi exarigam
hominis extranei contra tenorem dicti statuti et contra voluntatem dicti concilii, petiit pronunciari per dictum iusticiam dictum procuratorem et dictam dompnam Sibiliam cuius est procurator debere teneri observare statutum predictum et mandari per suam sentenciam quod ipsa extrahat seu extrahi fa-
ciat dictum ganatum exarige de termino antedicto et quod ipsum ibi non teneat infra tempus contentum in statuto predicto. Dictus vero Petrus de Cosculluela procurator dicte dompne Sibilie dixit se credere dictum statutum factum fuisse et quod est verum quod dicta dompna Sibilia tenet exarigam
in dicto termino, dixit tamen dictam dompnam Sibiliam non teneri dictum statutum observare cum ipsam non artet secundum forum et regni observanciam quin possit ibi tenere exarigam ut facere consuevit. Demum fuit in ea conclusum ut hec in processu dicte cause coram dicto iusticia
Aragonum habito latius continentur. Et dictus iusticia ad sentenciandum processit in hunc modum. ¶ Nos Eximinus Petri de Salanova iusticia Aragonum iudex sive arbiter in hac causa, visa peticione proposita per dictum procuratorem concilii de Ontynnena et responsione secuta
per procuratorem dicte dompne Sibilie et viso tenore dicti statuti et viso instrumento quo partes se obligarunt stare iudicio sive dicto nostro super controversia predicta, et viso quodam instrumento publico quo continetur quod Sancius Petri filius dicte dompne Sibilie qui cum ea habitat fuit
requisitus ex parte concilii quod iret ad concilium tempore quo dictum statutum fuit factum, qui respondit se nolle ire, et visis racionibus partium coram nobis propositis super omnibus et singulis habito diligenti tractatu communicato consilio sapientum, attendentes quod secundum forum et
regni observanciam quodlibet concilium regni civitatum et villarum potest facere statuta pro libito voluntatis que ad suam utilitatem expedire videantur, nec unus vel pauci de ipso concilio contradicere possunt, et omnes de ipso concilio ipsa statuta observare tenentur, solum Deum habendo
pre oculis, potestate nobis per dictum comendatorem et partibus predictis tradita seu data, cum pena predicta ab ipsis posita, sentenciando pronunciamus dictam dompnam Sibiliam debere tenere et observare statutum predictum, et condempnamus dictum Petrum de Cosculluela procuratorem dompne Sibilie
predicte et ipsam dompnam Sibiliam cuius est procurator ad observandum statutum eandem sub pena a partibus posita supradicta, et ad extrahendum seu ad faciendum extrahi dictum ganatum exarige de termino antedicto. Et assignamus dicto Petro de Cosculluela nomine dicte Sibilie cuius est
procuratori et ipsi dompne Sibilie terminum quod usque ad primum festum nativitatis domini extrahat seu extrahi faciat de termino Ontynnen totum ganatum quod tenet in exigua sive comanda illud videlicet quod dicitur barano [?] et aliud ganatum quod habet fetus ut [illegible] habet hoc anno
usque ad festum sancte crucis mensis madii proximo. Quam sentenciam dictus Petrus Pennalba procurator concilii Ontynnen acceptavit. Dictus vero Petrus de Cosculluela procurator dicte dompne Sibilie tacuit nichil dicens. Lata fuit hec sentencia in civitate Cesarauguste
XII kalendas decembris anno domini millesimo CC XC sexto, presentibus testibus ad hec specialiter vocatis dompno Bartholomeo de Tellana [?] et dompno Johanne de Abacia civibus Cesarauguste. ¶ Ego Marinus [?] de Annaua [?] scriptor curie venerabilis iusticie Aragonum predicti

RT 447

F. io. 1297.

S. 17

Sentencia Arbitrial a q se comprometieron entre los ganaderos del Lugar de Ontiñena con los Estraños

[illegible]

16/4
1297, 11, 20